# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

DE

# DYSPEPSIA.

# DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

# DYSPEPSIA.

1184 b 9

# DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

# *DYSPEPSIA.*

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

Et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

NATHANIEL POWELL,

*HIBERNUS;*

SOCIET. HIB. MED. EDIN. SOC. EXTRAOD. ATQUE PRÆS. ANN.

*Sincerum nisi est vas, quodcunque infundis acescit.* HOR.

Ad diem 25 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

*CUM PRIVILEGIO.*

TYPIS GEORGII MUDIE ET FILII.

1798.

43.
10. 10.
259.

VIRO OPTIMO ATQUE REVERENDO

JOHANNI PARKER, D.D.

DE BALLYVALLY IN COMITATU CLARIENSI

VICARIO GENERALI DIOECESIS DE KILLALOE,

TAM OB INSIGNES EJUS VIRTUTES,

QUAS QUISQUAM QUI EUM NOVERAT

NUNQUAM DENEGARAT,

QUAM OB PLURIMA BENEFICIA

IN SE BENIGNISSIMF COLLATA:

NECNON

REVERENDO JACOBO MARTIN, A. M.

QUI BENEVOLUS, NON TANTUM AMICI,

SED ETIAM PATRIS, EHEU! SIBI

TENERIS IN ANNIS IMMATURE RAPTI,

VICEM SUPPLEVIT, ET NE LUCTANS

PER VITÆ FLUCTUS PROCELLOSOS

OPPRIMERETUR, MANUM PORREXIT,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

EXIGUUM SED SINCERUM ANIMI

HAUD INGRATI TESTIMONIUM

SUMMA OBSERVANTIA

SACRAS ESE VULT

AUCTOR.

AUCTOR.

" Voluptuous man
" Is by ſuperior faculties miſled,
" Miſled from pleaſure e'en in queſt of joy.
" Sated with Nature's boons, what thouſands ſeek,
" With diſhes tortur'd from their native taſte,
" And mad variety, to ſpur beyond
" Its wiſer will the jaded appetite!
" Is this for pleaſure? learn a juſter taſte,
" And know, that temp'rance is true luxury."

ARMSTRONG.

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

DE

# *DYSPEPSIA.*

AUCTORE NATHANIELE POWELL.

LEGIBUS hujus almæ Academiæ morem gerens, quæ, ne prius ad ſummos in medicina honores quis evehatur, quam aliquod induſtriæ ſuæ ſpecimen ſcriptum editumque proferat, vetant, de Dyſpepſia tractare decrevi: minime ſperans lumen quodvis novum, morbo tam ſæpe, tam feliciterque antea tentato, me allaturum. Sed quoniam de omni morbo, idem forſan objici poſſit, neceſſe erat me quemvis præoptare. Nec hoc mirum quidem videri debet, cur in tanta copia morborum, qui genus hu-

manum cruciant vexantque, hunc ſeligere volui; cum nobiſmet reputemus nec ullum alium frequentius occurrere, a nullo vitam reddi miſeriorem ac triſtitia magis gravatam.

Cullenus ſic morbum definit: Anorexia, nauſea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gaſtrodynia, pauciora ſaltem vel plura horum ſimul concurrentia, plerumque cum alvo aſtricta, et ſine alio vel ventriculi ipſius, vel aliarum partium, morbo.

Hic morbus tam multiplex eſt, tam varias induit formas, ut de eo hiſtoriam perfectam ordinatamque reddere, ſi non impoſſibile, omnino difficile ſit. Nec ſexui, nec loco, nec ætati parcit, ſed inexorabilis omnes invadit, rarius quidem modice viventes, corpus exercitatum, juſtoque labore firmatum habentes; ſæpius autem eos vitam otioſam ſedentariamque colentes, literiſque incumbentes, ventri voluptatique deditos. Natura in pleriſque certos limites poſuit, quos temere, legibus ejus ſpretis, tranſire, haud noxa immune, ſed ſerius ocius juſtis pœnis expiandum. Quamobrem in his

caſibus

caſibus, ventriculus præ aliis partibus plectatur, ex nexu illo miro, qui eum inter et reliquum corpus exiſtit, intellectu facile: tam arctus eſt enim hic plexus, ut raro accidit quodvis organum aliquamdiu affici, quin ventriculus mox fiat particeps doloris; conſenſus inter eum et cutem jam omnibus bene innoteſcit. Illuſtris Sydenhamus olim memoriæ prodidit, ſe in uno ægro vomitionem non ſiſtere poſſe alio modo quam propriam cutis actionem reſtaurando. Nec tamen Dyſpepſia inter morbos ubi cita mors aut victoria læta eſt numeranda. Tempus quod durat omnino varium, ſymptomatis nunc ſolum ſeſe oſtendentibus, et ſtatim evaneſcentibus, nunc multos annos durantibus. Sed morbo fere, poſtquam ſemel apparuit, ad rurſus recrudeſcendum magna eſt proclivitas. Symptomata hunc morbum ſtipantia, ſunt in ventriculi regione ponderis vel moleſtiæ ſenſus quandoque cibi appetentia aucta, ſed frequentius anorexia, hæc vero nullo modo paſſibus æquis pravam et difficilem cibi concoctionem ſequitur. Hæc comitantur nauſea et vomitio

materiei nunc insipidæ, nunc saporis oleosi, aut acidi, modo tam acris ut dentes acuere et fauces excoriare valeat. Aliquando etiam bilis rejicitur, et hoc inter antiquos medicos plurimi fuit causa erroris, omnes saltem ventriculi morbos sub vacuo nomine (anglice BILIOUS) inepte vocantes; hæc biliosa farrago opiniones multa caligine obduxerat, sed densa hæc nubes hodiernis medicis omnino fugata est, quibus probe notum motu peristaltico inverso, quam facile bilis in ventriculum a duodeno ascendere queat: Ventriculus et intestina aëre multum distenduntur, adeo ut murmura et borborygmi inducantur. Ructus etiam aliquando occurrunt, per quos comesa frustula in os rejiciuntur, quæ a nonnullis melius subacta in ventriculum iterum recipiuntur; huic nomen ruminatio inditum. Acris cujusdam sensus circa cardiam multum doloris inducit, cui nomen cardialgia perperam anglice tradita HEART-BURN. Hæc symptomata præcipue sese post pastum ostendunt; sed aliquando dolores ingruunt magis graves et vehementes, ventriculusque

luſque retrahi videtur. Lingua ſicca et arida, aliquando luteâ ſorde obducta. Sitis magna, præcipue circa horas matutinas, ſapor in ore ingratus, dolor capitis in jejuno. Aliquando vertigo, ut ægrotus homini ebrioſo ſimilis videatur; nunc viſus ſuffuſio, nunc omnibus quaſi auro aſperſis viſis, nunc tinnitus aurium hunc morbum comitantur. Alvus plerumque aſtricta eſt, aliquando vero diarrhœa occurrit. Cutis fit ſicca et pallida, colore rubicundo et vivido amiſſo, labia quoque pallida vel livida fiunt. Solidorum compages magis laxa et flaccida, cum fluidorum etiam morbida tenuitate: Pulſus nunc tardus, nunc frequens eſt, plerumque debilis, et parvus, aliquando irregularis. Cordis palpitatio et reſpiratio moleſta urgent; comitantibus aliquando doloribus thoracis acutis et pungentibus. Secretiones quoque afficiuntur: urina eſt aliquando pallida, ſed ſæpius rubicunda. Saliva, copia ſolito majore, ſecernitur. Morbo durante, hæc ſymptomata in pejus mutantur, ſpiritus fœtet, corpus tabeſcit, noctes pervigiles aguntur, vl

quies

quies ægre obtinetur, incubo diriſque inſomniis turbata, nec corpus validum, vegetum, aut refectum reddens; robur nunc omnino diruitur, et corpus macie confectum apparet. In hoc rerum ſtatu tam miſerabili, ut mens læta maneret certe non eſt expectandum: corporis extenuati mens ſit particeps miſeriarum, et aſſidue ſibi fingit triſtia rerum ſimulacra. Corpus frigoris ſenſui valde opportunum redditur, vultus lugubris eſt, et facies prorſus Hippocratica; cum tam multi exitii ſatellites omnem vitæ ſemitam claudant, ullam ſalutis viam invenire difficile erit, et tandem mors, ultima linea rerum, anaſarca vel febre hectica inducta, ſcenam claudit. Hæc eſt morbi facies maxime miſerabilis, ſed perraro omnia ſymptomata memorata, aut talis morbi exitus occurrunt; nam plerumque magnum incommodum potius quam vitæ diſcrimen infert. Prima quidem facie, mirum foret, morbo licet diu exiſtente, quam bene eſt corpore toto quam nitida et florida apparet cutis. Hujuſce vero rei cauſa haud omnino explanatu difficile eſt, nam, quamvis id omne

quod

quod in ventriculum recipitur non probe concoquitur, quantitas tamen magna ſatis ſubigitur ad damna ejus reparanda.

Ut CAUSÆ, propter quas hæ morbidæ ventriculi affectiones occurrunt, intellectu faciliores reddantur, de modo quo cibus concoquitur, in ſano ſtatu corporis, quam breviſſime potero, deſignare conabor. Res eſt bene nota, quod ni damna, quæ corpus patitur, in continua ſolidorum attritione, et fluidorum diſſipatione, aſſidue materie nova compenſentur, nos omne noſtrum robur, omnem formæ venuſtatem citiſſime amiſſuros, et brevi omnino perituros. Sed ſi nobiſmet ipſis tantummodo reputemus, non poſſimus non admirari modum, " nec niſi " uno excogitatum," quo hoc efficitur. Nobis, rerum alma parens, quaſdam neceſſitates impoſuit, quaſdam cupiditates inſeruit, in quibus obtemperandis, nobiſmet gratum facimus, et etiam ea quæ falſo incommoda putantur, non ſolum noſtro uſui ſed delectationi inſerviunt. Sed quibus modis hunc finem aſſequitur natura, ut cibus appetatur, non tam compertum habemus. Auctores medici et philoſophi

philoſophi hoc variis cauſis tribuerunt, alii aliis; nonnulli frictioni vacui ventriculi parietum inter ſe; ſed nobis non ſatis probabile apparet, parietes ventriculi, adeo inter ſeſe fricare, aut famem exoriri ſolum ex vacuo ventriculo; magis fide dignum videtur ſenſationem, quæ fames vocatur, per proprium ventriculi ipſius ſuccum nervos ejus ſtimulantem, induci. Huic autem opinioni objici poſſit, cur temporibus periodicis hæc ſenſatio præcipue ſentitur. Non inficias ibimus, a legibus habitus ſyſtema humanum mirum in modum gubernari; ſed tamen neceſſarium eſt, cauſam aliquam extitiſſe primariam. Sed quomodocunque hoc ſit, cibus poſtquam in ventriculum recipitur, ſucci gaſtrici vi ſolvente præcipue ſubigitur: quamvis aliis opinionibus olim faverunt illuſtres viri. Aliqui, ex analogia cum avibus ob vim muſcularem ventriculi concoctionem tribuerunt trituræ; nam experimentis in avibus inſtitutis conſtat, puncta inſtrumentorum acuminata in eorum ventriculum receptorum, vi ejus muſculari obtundi et frangi: ſed in ſtructura

tura tam diverſa nullus eſt analogiæ locus; harum enim avium, ventriculus eſt muſculus valde robuſtus, humano vero ſtomacho paucæ ſuppetunt fibræ muſculares. Alii vero viri ingenio clari, inter quos numerentur M'Bride et Pringle, putarunt, hanc functionem per fermentationem abſolvi; et hæc opinio abunde confirmari viſa eſt experimentis ad hunc finem ex induſtria inſtitutis. Nam variis cibi generibus ſcilicet animalibus et vegetabilibus commiſtis, et in pulpam cum aqua ſubactis, et certo caloris gradui (qualis in corpore humano exiſtere putatur) poſtea ſubjectis, hæc talis maſſa cito fermenteſcere comperta eſt. Nobis tamen innotuit, minimam fermentationem locum habere in ventriculis optime concoquentium, et hoc oriri videtur ex poteſtate ſucci gaſtrici antizymica. Utcunque vero multum interſit inter ea quæ extra, et ea quæ intra corpus humanum occurrunt.

Nunc ad opinionem, quæ cibi ſolutioni per ſuccum gaſtricum favet, venimus, quam tam clare monſtrarunt experimenta SPALANZANI,

Monro et Stephens, ut diutius theoriæ nomen, ſed potius rei factæ haud dubitandæ, non mereatur; nam ſpherula cava, ex argento vel ebore foraminibus parvis pertuſâ, in qua caro incluſa, et hæc poſtea in ventriculum humanum immiſſâ, ac demum poſt tempus certum rejecta, caro omnino ſoluta inventa. Profeſſor noſter Monro, ipſa dura oſſa maſſa farinacea involuta in canis ventriculum immiſit, cane poſtea necato, internam oſſis partem ſolutam invenit. Sed haud exinde concludere licet, ſuccum ventriculi humani proprium talem poſſidere poteſtatem. Hæc poteſtas in diverſis animalibus variat, adeo ut nec ſuccus gaſtricus milvii panem, galli Numidici carnem ſolvere queat. Et profecto prorſus admiratione dignum, cum tantos effectus non ſolum in rebus extraneis, ſed etiam in ventriculum ipſum mortuum oſtendat, ut eum eroderet, nullam moleſtiam corpori vivo faceſſere, nec etiam fruges ſolvere poſſe, niſi prius dentibus vel alio modo comminutas.

RATIO

## RATIO SYMPTOMATUM.

ANOREXIA a ſucci ventriculi quantitate imminuta vel qualitate corrupta oritur.

NAUSEA ET VOMITUS inducuntur materie acri ventriculum irritante, vel debilitate eum magis irritabilem reddente.

INFLATIO originem ducit ex aëre maſſâ alimentorum extricato inter fermentandum, ſucco gaſtrico ad eam fermentationem compeſcendam parum valente. Affectio augetur fortaſſe ob cibum crudum factum, nec aerem denuo abſorbentem. Ex his omnibus, vel ex earum aliquâ ſaltem, cauſis, oritur diſtenſionis ſenſus importunus.

RUMINATIO per acriditatem inducitur, quæ ventriculo irritamento eſt; et motus periſtaltici inverſionem facit; forſan cibus aliquando ſurſum coactus ſit vi aëris ſeſe liberantis. Eidem acriditati, cardiam irritanti attribui poſſint ſenſus caloris, itidemque dolores graviores.

GASTRODYNIA ventriculo ſpaſmis tentato ori-

tur. Alvus aſtricta pendere videtur inteſtinorum muſculoſarum fibrarum debilitate, ob quam minus valent propulſioni maſſæ alimentariæ. Aliquod etiam tribuendum ſympathiæ, quæ permagna obtinet inter inteſtina et ventriculum nunc male affectum. Ne multa verba facerem, omnes capitis, cordis, pulmonum, renum, affectiones non aliter mihi explicabiles videntur, quam ex conſenſu quodam inter ventriculum eaſque partes.

## CAUSA PROXIMA.

Varias opiniones, quæ deinceps diverſis temporibus de hac habitæ ſunt, quoniam eas poſtera quævis ætas reſpuit, ſilentio præterire ſatius duco, et ei tantum attingere quæ hodie una ferme voce amplecti videtur, et quæ medendi rationi optime accomodatur. Hæc eſt muſcularium ventriculi fibrarum debilitas, et quamquam huic adjici poſſit, ſuccus gaſtricus quantitate deficiens, vel qualitate corruptus; tamen quoniam incertum eſt utrum talis ſtatus occurrit debilitatem inducens, vel ab ea inductus,

ductus, et quoniam chemiæ lux huic rei non adhuc ſatis affulſit, ut nubem fugaret, in qua natura ejus adhuc involuta, et quo modo ſolo intelligenda eſt et ipſa, et remedia, quæ ad ſtatum ejus morbidum corrigendum apta ſunt, quoniam ergo hæc nos latent, debilitas ſola, cauſa proxima nobis agnoſcenda.

## CAUSÆ REMOTÆ.

Propter nexum inter ventriculum aliaſque omnes partes corporis, functiones ejus omnibus ſyſtematis affectionibus plurimum turbantur: Ideoque medicis bifariam dividere mos eſt, quæ in ventriculum agunt, et quæ alias partes corporis afficientes ſuos effectus ad ventriculum communicant.

Ad caput primum referenda, opium, liquores ſpirituoſi, amara, aromata, thea, coffea, putrida et aceſcentia, aqua vel liquores aquoſi largiter ſumpti, ingluvies vel ventriculi nimia diſtenſio, vomitio frequens ſive ſponte ſive arte inducta, rejectio frequens ſalivæ.

Ad ſecundum referuntur vita otioſa, et ſedentaria,

dentaria, mens negotiis vel ſtudiis plus juſto intenta, venus nimium culta, pathemata animi, diæta nimium parca, et intoxicatio quæ ſub utrovis capite locum habeat. Quomodo hæ cauſæ effectus ſuos pernicioſos inducant, perſcrutari operæ pretium eſt. Sed inveſtigationem ejus plenam et abſolutam hujus diſſertationis limites non admittunt. Multum inter medicos diſputatur, an ſedativos effectus opium ſtatim inducat, an ſecundum ſyſtematis legem agat, quandocunque ſcilicet, muſculi ſtimulo ſolito majore afficiuntur, ita ut ad contractiones validiores ſuſcitentur, relaxationem in pari ratione majorem ſequi: Sed non meum eſt inter tantos componere lites. Thea et coffea quibuſdam putantur quantitate aquæ calidæ tantum nocere, ſed experimentis a Letſome inſtitutis, (aliarum plantarum infuſionibus ejuſdem temperiei uſurpatis, ſine iiſdem incommodis), conſtat, potentiam quandam noxiam in iis exiſtere.

Annotandum eſt theam viridem hac qualitate præcipue gaudere. Mirum videatur, cur amara,

amara, quæ ad tonum ventriculo reddendum adhibere ſolemus, effectus plane diverſos producere inveniantur, ſed ſic ſe res habet, quando longius et largius adhibita ſunt.

Ingluvies. Providus rerum parens proli ſuæ conſulens, leges certas quaſdam ordinavit, certos poſuit fines, quos ultra citraque nequit conſiſtere valetudo ſecunda. Succus gaſtricus in certa quantitate tantum ſecernitur, et ſi quis helluo pluſquam hic ſolvere valet deglutierit, pars ejuſdem cruda et indigeſta manebit, et huic altera indies accedet donec fibrarum muſcularium tonus omnino frangitur.

Nicotiana ventriculo damnum infert, copiâ ſalivæ ejectâ, quam natura alimentis miſci voluit. Sed eam poteſtatem ſedativam quoque poſſidere, unde ſyſtema nervoſum afficitur haud nos latet.

Vita ſedentaria et otioſa quantum noceat, aeris puri et exercitationis beneficiis neglectis, facile quidem intellectu. Tissot opinatur qua quiſque ingenii vires ad actionem ſuſcitat, eum in ratione inverſa cibum aſſimilaturum. Anne

hoc

hoc accidit ex mentis exercitatione, digeſtioni inimica, anne tantum occurrit ex modis qui digeſtionem promoveant neglectis; non clare apparet; ſed quoniam omnes mentis affectiones in ventriculum effectus edere obſervantur, veriſimile eſt, in his mentis operationibus, hæc mala moveri.

Vomendi actio explicabilis ex ea ſyſtematis humani lege, qua actionem violentem debilitas ſemper conſequitur.

Omnia mentis pathemata, itidemque venus immodica, præcipue nocent, ſyſtema nervoſum afficiendo.

CORPUS INEXERCITATUM FRIGORI OBJECTUM.

Quoniam, exercitatione, motus cordis, et arteriarum accelerantur, plus caloris generatur. Excretio per vaſcula cuticularia augetur, et concoctio cibi adjuvatur, quippe probe novimus ventriculi tonum in ratione directa excretioni cuticulari fere exiſtere. Hæc omnia vi frigoris ſtimulanti augentur. Sed, corpore haud exercitato, vis reactionis nequaquam evincere valet frigoris effectus ſedativos, qui cito in ventriculo

culo ſeſe produnt. Ad hæc, exercitatione viſcera abdominis agitantur, indeque omnes excretiones et ſecretiones, et cum his motus periſtaticus promoventur.

## DIAGNOSIS.

Supervacaneum quidem foret enumerare qualia quantaque commoda ex diagnoſi recte inſtitutâ, quæ contra mala ex diſcrimine falſo oriantur; lux autem quâ noſtra veſtigia regimus, ſæpe admodum obſcura; ut caute ergo progrediamur res omnes bene perpendentes, omnino neceſſarium apparet. Morbi qui cum dyſpepſia confundi poſſint, ſunt podagra, amenorrhœa, ſchirrus pylori et hepatitis chronica.

Diagnoſin eam inter et hypochondriaſin inſtituere animus non fert, quia hujus ſum omnino ſententiæ, mentis affectionem prorſus accidentalem eſſe, nequaquam diverſi generis morbum conſtituentem, et remedia ſibi propria ſed haud multum diverſa requirentem. Liceat mihi ergo in hoc, eâ quâ decet modeſtiâ, cum cel. Cullено diſſentire, qui contrarium

ſentiebat; et quidem nos docet theam et coffeam in dyſpepſia nocitura, in hac affectione utilia fore: ſed cum eximio Profeſſore noſtro Gregorio mihi concedatur id dubitare.

Si forte mens ſola afficiatur, thea et coffea ob gratum quem præbent ſtimulum utilia reperiantur; ſed ſi ſymptomata dyſpepſiæ, ſimul cum mentis affectione, ſeſe manifeſtant, non poſſum quin putarem ea pernicioſa fore; nec mihi ſatis eſt cur eos diverſos morbos reputarem, quia mens præcipue afficitur in temperamento melancholico. His enim accidit, etiam in ſano corpore ut ab hilaritate averſi ſint; non mirandum eſt ergo cum corpus eorum morbo correptum ſit, dejectionem ultra modum ingraveſcere. Si ventriculi affectiones occurrant podagricis parentibus natis, maribus præſertim, corpus plenum, robuſtumque habentibus et qui annum quinquageſimum quintum expleverunt; ſi ſymptomata ſubito ſeſe oſtenderint, iterumque cito receſſerint, et, præcipue ſi antea podagra regulari laboraſſent, tunc morbus podagra habendus. Menſes non omnino

fluentes

fluentes, vel quantitate ſolito minores, cum deſiderio rei non edulis, et doloribus dorſi et lumborum amenorrhœm ſatis notant.

Schirrus pylori debilitate et macie majore ferme comitatur: in hoc quoque dolor magis eidem loco affixus, nunquam, ut in dyſpepſia aliquando accidit, omnino recedens. Vomitus fere ſupervenit unam vel duas circiter horas poſt paſtum; initio morbi alvus aſtricta eſt, provectiore vero ſtadio vix ullæ fæces excernuntur, tumor aliquando ſentitur, et pus, vel purum vel ſanguine commiſtum, ſurſum vel deorſum ejicitur. Hepatitis chronica, ab hoc morbo dignoſci poteſt, hypochondrii dextri tumore. In illo dolores non tam ſæpe ſedem mutant ac in dyſpepſia, pulſus ſunt magis celeres, aliaque febris ſymptomata ſub noctem ingraveſcere ſolent. Si æger in regionibus callidis vixerit, hujuſce notitia judicium noſtrum multum regere poſſit.

## PROGNOSIS.

Si hic morbus eos invadat juventute floreſ-

centes, et cauſis remotis non ſubjectos, nec morbo aliiſque cauſis fractos, eventum fauſtum ſperare licet. Sin aliter; ſi morbus evenerit ætati provectioribus et morbo conſumptis, ſi cauſæ remotæ diu adhibitæ ſint ſi morbus ex habitu jam ſyſtemati arcte connectitur, ſi poſtquam ad remedia recurritur ingraveſceret, vel ſaltem non miteſceret tunc male inaugurandum.

## METHODUS MEDENDI.

In hoc morbo tractando tres indicationes formentur, 1*mo*, Cauſas remotas tollere ſeu evitare. 2*do*, Symptomata quædam importuna removere. 3*tio*, Tonum ventriculo et toti corpori reſtituere. Quod ad primam indicationem attinet, cauſas remotas noviſſe ſatis forſan videatur ad eas evitandas. Sed res longe aliter ſe habet. Pauci enim ſunt, qui animum credere adducunt, ullum incommodum oriri poſſe ex illa ratione vivendi quam tam diu impune proſequebantur. Talis autem ratiocinatio haudquaquam firmo fundamento nititur,

titur, nam qui vel minime naturam humanam intellexerit probe perſpiciat quod cauſæ morbi antequam effectus ſuos edunt in longum tempus adhibeantur; et revera juventus, et plurima alia tentationibus morbi ſæpiſſime occurrunt: ex his autem non concludere licet quod effectus pernicioſos nunquam ederint; ergo medici eſt, omni qua poteſt cura ſummam attentionem ad rationem victus injungere. Quoniam tempus et experientia docent, temperantiam tam plurimum auxilii in hoc morbo tractando promittere, de hac pauca dicere volo.

Nulla certa regula de cibi adminiſtratione danda eſt; quoniam idioſyncraſiæ, quæ inter homines exiſtunt, non tantum unum cibi genus reſpuunt, quod aliis maxime arridet, ſed etiam habitus cibum pergratum reddit, qui antea in odio fuit. Ova, lac, mel, &c. quæ uno ventriculo optime congruent, alteri tumultum inferunt; et non raro accidit quidem alios cibum bene concoquere, qui aliis, moles indigeſta manet.

Ventriculo

Ventriculo valido atque homine ſano exiſtente, ſimpliciſſimus cibus ſatis arridebit, et hic idem optime reficiet, bonæque valetudini maxime conducet. Hic componi debet ex animalibus atque vegetabilibus; quamvis, ut a Gregorio obſervatur, "Nonnulli ſe credentes naturâ ſapientiores vetent animalia menſis imponi, et jubent ſolis frugibus vivere." Caro bovina vel ovina cum ſuis propriis ſuccis ſolummodo conſumpta ventriculo optime congruet: huic etiam panem bene fermentatum conjungere licet. Quibus ventriculus a dyſpepſia male ſe habet, omnia vegetabilia, quæ fermenteſcere, proclivia ſunt et acida vel aceſcentia caute evitanda ſunt. Omnia aromata, carnes exſiccatæ vel fumo duratæ fere fugienda. Butyrum quo iis utimur, et quod in ventriculo rancidum fieri ſolet, præcipue ſecum damnum affert. Carnes juniorum quam animalium ætate magis provectiorum ventriculo ſæpe difficilius ſubiguntur.

Juſcula quam carnes ſolidæ magis ad fermentandum proclivia. Cujuſcunque cibi farrago

ſemper

ſemper fere nocet. Ex ſupradictis de diæta, dyſpepſia laborantibus fere præcipiamus; et ſi cibus unius generis ventriculo non conveniat, ad alterum ſtatim decurrendum eſt. Sed hoc in memoria ſemper tenendum, cibi quantitatem, frequentius quam qualitatem, ventriculo injuriam facere.

Nunc ad potum venimus, quem præcipuo ex aqua conſiſtere natura voluit; nec aliud neceſſarium videtur, ad corpus ſanum valens, vegetumque tuendum; et niſi homines communia ſpernere didicerint, et nihil æſtimare niſi quæ magno pretio, magna difficultate conſtiterint, et quæ paucis ſolis attingere datur, quid gratius aut delectabilius foret? Si hæc multa arte, multa induſtria, multa impenſa, præparata, et longe petita, tunc vino optimo longe præſtare duceretur. Neſcio quæ proclivitas tam infelix, vel inſita, vel acquiſita, in hominibus exiſtit, ad ſeſe miſeros reddendos: ſua nunquam ſatis placent, aliena ſemper petunt, non quia meliora ſed quia difficulter vel non omnino obtineri poſſunt. Validi et robuſti

busti aquam solam sumere debemus; nam aliter postquam tarda senectus vel ægritudo acciderit, quid addi potuit? Vel quomodo vires corruentes tum suffulcire valebimus. Sed vanum est iis insistere, quæ fere omnes vel negligent vel contemnent. Natura nostra labe hereditariâ et habitu corrupta, alias potiones veluti necessarias requirit, sed ab eorum usu nimio saltem nosmet compescere debemus. Dyspepticis vinum Xerense, vel Madeirense bene respondet, si hæc aciditatem insolitam ventriculo gignunt spiritus frumenti aqua dilutus, et sine saccharo, et parva quantitate sumptus, ventriculo fere bene congruit. Liquor ex hordeo extractus, qui anglice PORTER dictus, cum fructu quoque aliquando adhibeatur. Hic utilis est, quippe bene fermentatus, et fortasse quoque ob potestatem quandam tonicam. Alii liquores ex eodem frumento extracti, ob fermentationi proclivitatem minus idonei sunt. His præmissis, multa semper juidicio medici permittenda sunt. Cavere semper oportet, ne Scillam evitantes in Charybdim ruamus, a vivendi

vendi rationem cui dudum aſſuevit direpente aufugere haud ægrum decet, ſed ſenſim potius a nimio uſu ſe ipſum ſurripere.

Nunc ad ſecundum caput tranſeo; ſymptomata gravia removere vel corrigere. Cruditates e ventriculo emeticis removere ſuadet CULLENUS; ſed huic adverſatur GREGORIUS, veritus nec injuria, ne ventriculus vomitu nimium debilitetur, propterea cathartica initio propinanda ſunt, præcipue amara primum leniora veluti rheum, ſeu pillulæ rhei compoſitæ vel pillulæ aloeticæ quia poteſtatem tonicam poſſident, dyſpepticis optime accomodatæ. Sales neutri quoque, vel ſi acidum in ventriculo exiſtit magneſia huic conſilio ſatis bene reſpondent. Sed aliquando catharticis fortioribus, ut jalappa, gambogia, calomelane opus ſit. His vero incaſſum uſurpatis; tunc ad emetica fugiendum eſt et quoniam in ventriculo male ſano, materies viſcida ſæpe exiſtit emeticorum actionem quodammodo prohibens, neceſſe eſt ut doſibus ſolito majoribus adhibeantur et quoniam ipe-

cacuanha operationem ejus tam citiſſime abſolvet et adeo tute exhibeatur, præ cæteris anteponenda. Ad aciditatem corrigendam abſorbentia optime accomodata ſunt; ſi alvus aſtricta, magneſiâ purâ utimur, nam ex magneſia carbonata aër extricatus flatum augeret; alvo ſolutâ, potio cretacea aptior erit. Raro ad alkalina dicurritur.

Quoniam ab eadem cauſa oritur cardialgia, remedia eadem et huic quoque ſufficient, Glycyriza quoque, et alia demulcentia aliquando adhiberi poſſint. Gaſtrodynia opio facilius removetur, ſed quoniam opium ſemper ventriculi debilitatem maxime auget, hyoſciamus periculum meretur, præcipue quando alvus aſtricta eſt, nonnullis exemplis quæ mihi contigit ſtudenti videre, ſerpentaria huic conſilio optime reſpondebat. Sæpe etiam abſorbentibus cedit. A nimio horum uſu Cullenus nos cautos facit, putans ſucco ventriculi abſtracto, hoc modo putredini proclivitatem adauctam fore, ſed experimentis hæc opinio non ſatis confirmatur.

firmatur. Anorexia et nauſea removentur, ventriculum ab acribus, quæ eum oppreſſerant liberando, itidemque eidem tonum addendo, quomodo hoc fit poſtea dicendum. Vomitus hauſtibus effervescentibus et opio fere vincitur, ſi hæc, tamen ſpes noſtras fefellerint, opium ſub enematis formâ et etiam cataplaſmata opiata vel æther vitriolicus regioni ventriculi admota votis ſatisfacerent parva aceti quantitas ingeſta aliquando vomitionem omnino fugavit. Cum vomitus ex ventriculi debilitate pendeat; cyathus, vini tinctura amara, vel aromata hunc multum levabunt, etiam parva quantitas ſodæ muriatæ hunc removere fertur. Sed tincturæ ſpirituoſæ, parva manu adhibendæ. Inflatio levanda eſt carminativis, ut oleo aniſi, oleo menth. pip. et æthere vitriolico; Tinctura aloes vitriolica utpote ſtimulans etullos motus irregulares ſedare valens multum proficiat.

Nunc ad poſtremum caput venimus quod maximam attentionem meretur. Nam hoc neglec-

to, quamvis ſymptomata tantiſper leventur, mox æque ut antea gravia redibunt. Hoc conſilium impletur ventriculi et totius ſyſtematis debilitati obviam eundo, *imo*, Tonus ventriculo reſtituendus eſt tonicis, amaris et aromatis; ex amaris, radices Columbo, gentianæ, et chamomeli flores, cæteris præſtant, hujus extractum, quoque aliquando adhibitum cum ferro conjunctum, tinctura amara quoque remedium eſt bonum, ſed ex omnibus tonicis vegetabilibus, cortex peruvianus anteponendus, ad hunc gratiorem reddendum, ſi ventriculo minus arrideat, quædam aromata addi poſſint, ut cinnamomi, vel aurantiorum cortex, vel canella alba, pulvis ipſa corticis cinchonæ optime adhibeatur in aliquo vehiculo idoneo, vel vino, vel lacte. Sed adhibeatur quoque ſub forma tincturæ vel infuſi. Si hæc tamen minus placeant, pulvis corticis anguſturæ ut magis grata, eoſdemque fere effectus inducens, adminiſtranda. Sed annotandum eſt, nec tonica, nec aromata diu adhiberi debere;

bere; quomodo noceant antea diximus. Ex tonicis metallicis ferri præparata, longe optima, et tutiſſima ſunt, ex his Rubigo vel ferri tinctura muriata, præſtant, ſulphas quoque ferri caute adhibitum et largiter dilutum cum fructu uſurpari poſſit. Hauſtus ex fontibus chalybeatis, in hoc morbo magnopere commendantur, nec immeritis laudibus donantur, pars magna tamen fructus quæ ex iis percipitur ad exercitationem et varia ibi oblectamenta attribui poſſit, et quidem medici ſapientiâ et experientiâ multâ inſtructi, virtutes ſuperiores aquæ arte mentitæ, omnino negarunt; nec chemia detexit cur hæc qualitatem ullam ab illa diverſam poſſidere putetur. Plebeculæ indoctæ monendum ne aqua nimia quantitate utantur. Sibi perſaudent ſuo more ratiocinati, ſi aqua in parva quantitate epota bona ſit, in majore meliorem et in maximam optimam fore; ſed modo quocunque, hæc ferri præparata, ſeu in ſtatu quem natura præbuit, vel ars ea paravit, in ventriculum recepta, multum poteſtatis in tonum

tonum ventriculo reſtituendo, et appetitum augendo exhibent. Nunc ad methodum tonum corpori ipſo reſtituendi pervenimus, et huic præcipue fidendum eſt.

Id efficitur primo exercitatione, quæ multa cura ordinanda eſt. Experimentis de induſtria inſtitutis edocti ſumus, idoneam ſucci gaſtrici ſecretionem, impeditam fore, ſi ad exercitationem curratur ſtatim poſt paſtum; propterea omnis exercitatio præcipue violentior ſtatim poſt cibum evitanda eſt, exercitatio viribus ægroti par eſſe debet, fatigatio eſt ſemper evitanda. His autem qui corpore adhuc valido et robuſto fruuntur, ambulatio vel equitatio omni alii exercitationi anteponenda quippe melius ad vaſa cuticularia determinantes. Sed quibus, corpus debile, et macie et morbis diuturnis fractum, geſtatio quædam lenior præſcribenda, uti in rheda vehi, vel navigatio, frictio corporis auxilio quoque ſit, multum etiam prodeſt libera aëris puri applicatio, corpore adhuc parum facto, et vi reactionis ſatis pollente, quippe nec aliud præſtantius

ſtantius auxilium, ad tonum ventriculo, ut etiam corpori toti reddendum, aere frigido. Sed cum debilitas adſit, frigus cum humiditate præcipue conjunctum, caute effugiendum eſt, nam frigus effectus ſedativos ſemper edit eo majores quo corpus debilius eſt, ideoque regiones, temperie hujus noſtræ, magis equabiles petantur. Nam etiam hic magnum beneficium oritur ex æſtate calida ſerena. Sed cum neque ab æſtate appropinquante propter cæli inequalitatem multum levaminis expectatur, neque regiones magis callidæ inviſendæ ſunt, ab induſiis laneis magnum commodum derivandum. Hæc enim ad ſuperficiem humorum determinant curſum, et ad cutis quoque humiditatem ſorbendam optime accommodantur. Frigidarium quoque, in corpore vigorem addendo maxime pollet, ſed in uſu ejus, cautela aliqua obſervanda eſt. Robori et conſtitutioni frigidarium accomodandum eſt, nam quanto corpus debilius et irritabilius eſt tanto pejus temperiem minorem pati valet. Primo igitur

igitur temperies debet esse major et prout usu æger temperiem minorem tolerare potuit, gradatim redigenda ad, aquæ frigidæ, temperiem solitam. Gas oxygenium dilutum, a quibusdam ingeniosis viris, laudatur inhalandum, ab iis præcipue qui mentis affectione laborant. Cum mens afficiatur, ægrum assidue gratis rerum imaginibus delectare oportet, nec ei suis malis immorari permittendum. Hoc optime fit exercitatione quæ attentionem ejus occupet nec corpus fatiget, abstrahendus quoque est ab iis negotiis, quæ incertis fortunæ casibus, plena sunt, et de quorum eventu discrucietur. Si in ullo morbo in hoc certe medico pia fraude uti licebit, nec affectio utpote lævis aspernanda est, sed ægri potius vanis timoribus medicus prudens indulgebit, dum simulat, se credere omnia, quæ de improbâ affectionis suæ natura narrat. Remedia danda medici judicium facile supplebit. Hoc modo ægri fiduciam sibi acquiret, et eum revera sanum præstabit, simulando sanum esse.

FINIS.

BRITISH MUSEUM